



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum  
Scholasticis habent connexionem, declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1659**

Sectio I. Theologiæ notio, & neceßitas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13718**

# DE DEO

## DIVINISQUE PERFECTIONIBVS

### DISPV TATIONES

### THEOLOGICÆ.

AUCTORE  
R. P. THOMA COMPTONO  
E SOCIETATE IESV.

## PROOEMIUM.



**R**EM aggredimur, & suâ amplitudine majestâtêque sublimem, & sublimitat: perquâ n difficilem. De supremo quippe Numine agendum, quod quàmvis existere, ipso rationis ductu constet, Vniversumque tot linguis, quot in se res diversas continet, testetur, ejus tamen naturam proprietatêque pro dignitate declarare arduum adeo est, ut humane mentis vires penitus excedat, nullusque omnino fit, quantumvis ingenii acumine dicendique facultate prestans, qui tantarum rerum magnitudine oppressus, suam & in intelligendo imbecillitatem, & in eloquendo infantiam non agnoscat. Quis enim aquilinis adeo oculis hunc Solem contuetur, ut acies non vacillet? Quis tot se tamque sublimium perfectionum captui imparem non fateatur. Beatarum nempe mentium tantummodo, celi que civium est irretorto lumine divinos hosce radios excipere, fixoque obtutu in infinita illius lucis contemplatione persistere. Eorum tamen, qui tot jam labentibus seculis res Theologicas tractarunt, exemplo, diuturnaque, cui refragari nefas, in Scholas inductâ consuetudine permotus, nonnihil his etiam de rebus, quantumvis altis & reconditis, Fide duce, Patrumque insistendo vestigiis, dicere conabor.

## DISPV TATIO PRIMA.

SEV PROOEMIALIS.

### De Theologia.

#### SECTIO PRIMA.

##### Theologia notio, & necessitas.

I.  
Theologia  
vominèquid  
significetur.



**T**HEOLOGIA, si nominis etymologiam spectemus, aliud nihil est, quam, de Deo sermo. Unde Metaphysicus, quod sermonem de Deo instituat, Theologus subinde nuncupatur. Imò ipsis etiam Poëtis, qui Divini Numinis laudes & encomia suis adumbrare carminibus tentarunt, à summis Viris, ipsisque adeo Sanctis Patribus, hæc interdum appellatio tribuitur. Qua-

re S. Augustinus lib. 18. de Civit. c. 14. Orpheu, Musæum, & alios, Theologos nominat; quod scilicet, quamvis falsâ veris miscendo, de Deo differerent; ejusque perfectiones & excellentias ad Parrasi explorare numeros conarentur.

Hac tamen latâ hujus vocis acceptione omisâ, Theologia hodie non aliam quàm sacram, ac de Deo, ejusque proprietatibus, perfectionibus, & attributis, revelatam doctrinam significat; quæ naturæ vires excedens, solâ divinâ ope, haultoque è cælo lumine, acquiri potest. Quo sensu, Fidem etiam, imò præcipuè, complectitur: utpotè quæ non solùm sacra est, sed sacre doctrinæ, seu Theologia.

Quibusvis  
tribuebatur  
nomen Theo-  
logi.

II.  
Strictius huius  
die sumitur  
Theologia.

A

logia.

logiæ, ac scientiæ de Deo, prout nunc in Scholis traditur, basis & fundamentum. Hinc insuper S. Joannes Evangelista præ cæteris Evangelistis, Theologi nomen est sortitus; quod scilicet Christi divinitatem clariùs multo quam reliqui, expresserit, ac declararit.

III.  
De qua  
Theologia  
hic agatur.

Theologia verò, seu sacra doctrina, quam hic tractandam suscipimus, non est Fides ipsa, sed media quædam, ac veluti mixta scientia divinam inter & humanam; quippe quæ de rebus agit, captum quidem nostrum excedentibus, earum tamen notitiam tum ex dogmatibus per fidem revelatis, tum ex principiis aut naturæ lumine innotescentibus, aut labore & industria comparatis, deducit: cujus id munus est, ut fidei mysteria, & in seipso clariùs quis faciliùsque percipiat, eademque aliis declarando, ipsos vel ad assensum iis præbendum, si necesse Fidem sunt amplexi, vel ad firmiùs constantiùsque illis adhaerendum si fideles sint, inducat. De hac proinde loquitur S. Augustinus lib. 14. de Trinit. cap. 1. *Hinc, inquit, scientiæ tribuitur id, quo fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.*

Theologia  
munus.

IV.  
De necessi-  
tate Theo-  
logiæ.

Ad secundum quod attinet, Theologiæ scilicet necessitatem; Notandum primò, sermonem hic esse de Theologia propriè sumptâ, seu de scientia ex actibus fidei, principiisque naturalibus deducta. Si enim quis de Theologia latè dictâ, seu Fide, loquatur, certum est eam ad salutem esse necessariam: *Sine Fide namque impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* De quo plura in materia de Fide.

Ad Hebr. 11.  
v. 6.

V.  
De Theo-  
logiæ Schola-  
stica hic est  
Sermo.

Notandum secundò: vel loqui nos de Theologia posse secundum se, & quoad substantiam, ut aiunt, vel prout modò ab auctoribus tractatur, singulari scilicet illâ ratione ac methodo, in quam à Magistro sententiarum primò redacta est, & postea à S. Thoma, & aliis mirum in modum illustrata, Vocaturque *Theologia Scholastica*: de qua plura scè. sequente.

VI.  
Theologia  
singulis non  
est necessa-  
ria immo-  
diatè.

His positis, certum est primò, Theologiæ scientiam, ne quidem quoad substantiam, singulis esse ad consecutionem salutis necessariam. Ratio est clara: rustici enim complures, rerum Theologicarum rudes penitus & ignari, utpote in agris fere semper, & inter pecora degentes, fidei tamen articulos firmiùs credunt, sanctisque Ecclesiæ Sacramentis muniti, feliciter ex hac vita decedunt, & salutem consequuntur. Et de primitiva Ecclesia ait Apostolus 1. ad Corinth. 12. v. 29. *Nunquid omnes Doctores?* Qui tamen sine hac scientia salvabantur.

VII.  
Est tamen  
necessaria  
mediatè.

Addo tamen, quamvis Theologiæ cognitio his non sit necessaria immediatè, seu ut ipsi eam calcant; esse tamen, moraliter loquendo, necessariam illis mediatè, seu ut sint in Ecclesia nonnulli hac scientiâ instructissimi qui fidei articulos ex se obscuros ac difficiles, variis propositis rationibus reddant credibiles, dubiaque omnia quæ vel ex proprio cuiusque ingenio occurrere, vel arte demonis suggeri, vel denique ex hæreticorum perversitate proponi possunt, diluant atque dissolvant: tot enim telis expositi, si hujusmodi literatorum hominum præsidio destituantur, agrè subsistent; sed nisi Deus peculiari iis ope & auxilio adsit, succumbent tandem, & fidei præturam patientur. Quod aperte probat sacram hanc doctrinam, seu Theologiam, esse in Ecclesia moraliter necessariam.

VIII. Secundò non minùs certum est, Theologiam,

prout modò in Scholis tractatur, quamvis imprimis utilis sit, & ad veritates fidei illustrandas plurimum conferat, nec toti Ecclesiæ, nec ulli particulari homini esse ad salutem necessariam. Ratio est: nam ante Magistri Sententiarum tempora, qui circa annum Christi millesimum, centesimum, quadragesimum quintum Theologiam in hanc formam & methodum reduxit, Ecclesia floruit, mediisque sufficientibus, & ad suos in rebus fidei instruendos, & ad hostium vim propulsandam fuit instructa, plurimique salutem sunt adepti.

Magister  
Sententiarum  
floruit  
anno Christi  
1145.

Tertiò tandem dico, mihi probabilis videri cum P. Arriaga hic d. 1. l. 4. doctrinam Theologiam, ne quidem quoad substantiam, absolutè & simpliciter esse necessariam, ita ut sine eâ subsistere Ecclesia non possit. Ratio est: nam vel esset necessaria ad fidem primò amplectendam, & convertendos infideles, vel ad fideles in eâ retinendos: sed ad neutrum hoc munus est necessaria Theologiæ scientia: ergo, non ad primum; quid enim veritat, rudem quempiam, propositis cum brevi aliqua declaratione, qualis etiam ab ignaro Theologiæ adhiberi potest, fidei articulis; quid inquam, vetat, eum, divinâ illucescente gratia, quæ facienti quod in se est, nunquam deest, assensum iis præbere & amplecti? Imò id in infidelium conversione sæpè contigisse vidimus, hodièque inter fideles, pueri parentibus mysteria fidei hoc modo proponentibus, fidem adhibent, & rustici credunt Parochis, qui tamen frequenter vel nullam omnino, vel exiguam admodum habent Theologiæ notitiam. Quod si quis brevem illam & simplicem fidei declarationem Theologiam appellet, quætionem fecerit de nomine.

IX.  
Theologia  
non est Ec-  
clesiæ sim-  
pliciter ne-  
cessaria, sed  
tamen mor-  
taliter.

Secundum etiam, quòd scilicet ad fidem retinendam non sit absolutè & simpliciter necessaria Theologia, probatur: quisquis enim à fide, quam semel amplexus est, dimovetur, liberè dimovetur; ergo potuisset illam retinere; ergo huic, ut in fide persistat, non est simpliciter necessaria hæc Theologiæ scientia. Quod argumentum de singulis, atque ad eò de omnibus fieri potest; sicut in materia de gratia ostendam eum, qui singulas tentationes vincere potest, posse physice vincere omnes: quamvis sicut iste ob graves, quæ intra diuturnum saltem tempus occurrunt, tentationes, succumbet aliquando, & tot fatigatus molestiis, in peccatum tandem incidet: ita in præfenti, ob gravissimas quæ contra altos & obscuros fidei articulos occurrunt frequenter difficultates, si non esset in Ecclesia hujusmodi scientia, quæ technas illas & fallacias retexere, offusasque hominum mentibus tenebras dispergere ac dissipare posset, plerique, imò fortassis omnes, saltem secundum ordinariam divinæ providentiæ modum, è fide exciderent, & Ecclesia penitus labefactaretur. Hoc tamen solum probat, Theologiam Ecclesiæ, non simpliciter & metaphysicè loquendo, sed moraliter esse necessariam. Quod, & nihil aliud vult S. Thomas hic q. 1. a. 1. corp. dum ait, sacram & per revelationem habitam doctrinam, esse hominibus ad salutem necessariam.

X.  
Ad fidem ve-  
tinendam  
requiritur  
absolutè  
Theologia.

Quæ sit  
Theologia  
necessaria.

Hinc sequitur, multò minùs necessariam esse Theologiam ad illas fidei veritates intelligendas, quæ naturæ lumine innotescunt; ut Deum esse, mundi que esse fabricatorem, ac res omnes creatas ejus nutu regi, curaque ac providentiâ administrari, & cætera. Quamvis ad hæc etiam citius & plenius cognoscenda, in iis præferim qui tardioris obtusiorisque sunt ingenii, plurimum conferat Theologia.

XI.  
Minùs re-  
quiritur  
Theologia  
ad illas de  
Deo Verita-  
tes, quæ  
rationem na-  
turalem non  
excedunt.

Dividitur

XII. Dividitur Theologia in Positivam, Scholasticam, & Moralem.

Dividitur porro Theologia in Positivam, Scholasticam, & Moralem. Positiva in Scripturae Sacrae interpretatione tota versatur: ideo verò dicitur Positiva, quòd scripturae loca explicando, Theologia Scholastica ponat fundamenta, quae scilicet divino verbo in his conclusionibus deducendis, eruendis, &que veritatibus maxime innititur. Moralis ad mores pertinet, casuumque resolutioni attendit. Scholastica explicabitur sectione sequente.

SECTIO SECUNDA.

Theologia Scholastica natura, & utilitas, ejusdemque contra Sectarios defensio.

I. In Ecclesia semper existit Theologia.

NULLO non tempore in Ecclesia existit Theologia, utpote quae ab ipsis Christianae religionis ac fidei primordiis, longo jam annorum, imò saeculorum, tractu ad nos usque, nunquam intermisso cursu, devenit. Non tamen eadem semper fuit illius tradendae ratio: quamvis namque id sibi praefixum haberent omnes, ut per eam mysteria fidei (quod Theologia, ut diximus, munus est) illustrarent, olim nihilominus fusiore, & quod inde fere sequitur, confusiore dicendi genere, modoque ad conciones potius quam scholas accommodato, à suis auctoribus tractabatur.

II. Theologia Scholastica in quo differat ab antiqua.

Jam verò Theologia Scholastica, licet iisdem, quibus antiqua, utatur principiis, divinaeque Scripturae testimoniis, decretis Conciliorum, & Ecclesiae sanctionibus, Sanctorumque Patrum auctoritate, velut fundamentis nitatur, haec tamen omnia eà ratione & methodo pertractat, ut & clarius percipi, & facilius retineri possint. Quae enim in Patrum scriptis sparsa hinc inde continebantur, nec nisi labore summo ac defatigatione inveniri poterant, ita eruditorum hominum opera ad certa quaedam capita sunt redacta, suoque loco singula & ordine digesta, ut ea quaeque in promptu semper habeat, possitque sine difficultate & molestia pro libitu percurrere.

III. Theologia Scholastica in quo differat ab antiqua.

Accedit brevis quidam & concisus, quo in scholis jam utuntur Theologi, loquendi ac disputandi modus, qui quò strictior, eò nervosior; quippe qui paucis multa complectitur: nec fusa, atque in longum protracta oratione, & quasi eminus, sed pressè & cominus pugnat: cumque ad certas omnia leges, praescriptamque argumentandi formam severe exiguntur, & ad hanc velut ad lapidem lydiū singula explorantur, fucatum à vero, adulterinum à sincero, vitiatum ab integro facile fecernitur. Hinc invictè veritatis vis ac splendor emicat, jucundissimèque suis radiis intuentium oculos oblectat: inde verò falsitas, quantumcumque speciosus, artificiosissimèque contextis verborum involucris obtegatur, patet illicò, & è tenebris, sophismatum scilicet latebris, in lucem eruta, ab omnibus exploditur, eoque tetrior ac deformior apparet, quò eminentè veritatis integumento occultata, & furtivis ornata pennis, alienum sibi fulgorem adsciscibat. Denique nihil suo calculo firmat Theologia, quod non solidis nitatur rationibus, argumentorumque vi & pondere comprobetur, reliqua ut spuria rejicit & supposititia.

IV. Cur hujus temporis ha-

Hinc atrox illud Sectariorum in Theologiam Scholasticam odium, in quam proinde acerbè invehantur, remque maxime perniciosam pronunciant, R.P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. I.

& à scholis atque hominum cœtu penitus ablegandam; quòd nimirum hac stante, frustra se quidquam contra fidei dogmata moliri ac machinari perspiciant, technasque suas omnes & argutias, si illius momentis expendantur, nullius esse momenti deprehendi, ac velut umbras ad solem evanescere. Hinc Lutherus Theologiam nihil aliud quàm inscitiam, inanemque fallaciam esse affirmat, & Academas, ubi illa docetur, Lupanaria vocat Antichristi. Denique D. Thomam Theologorum Principem, doctrinam vitæque sanctitate toto orbe clarissimum, inter septem phialas iræ Dei numerat, gravissima hominibus mala inferentes. Calvinus etiam, aliisque hujus temporis haeretici, eandem acriter insectantur, nullumque finem faciunt probris eam & convitiis impetendi. Sed quemadmodum, ut dici solet, laus est laudari à laudato viro, ita ab istiusmodi hominibus, qui & propter fœdos errores, & contumaciam, ab Ecclesia proscripti sunt, & ob nota seclera ac flagitia infames, nullum dedecus aut vituperium est vituperari. Imò non in postremis nobilissimæ hujus scientiæ laudibus ponendum existimo, quòd illos hostes habeat & impugnatores.

reticet displicent Theologia Scholastica.

Sectariorum in Theologiam convitiis.

V. Erasmi temeritas.

Sectariis hac in parte ducem se & antesignanum præbuit Erasmus, homo prophanus & præceps, qui ex innatâ animi audacia, dicendique libertate, in quavis cæcò quodam impetu se ingessit, unde & hanc, quam non intellexit, scientiam, consuetâ suâ diacitate vellicare & carpere cœpit: imò, ut ait Salmcron, multis injuriosis verbis, & atrocibus contumeliis eam est consecratus.

Salmcron. To. 1. Proleg. 18. §. Denique inter.

VI. Erasmus hujus temporis haereticum occasum.

Nec mirum si hac in re procaciorum se ostenderit Erasmus, & in propugnatrice fidei Theologia impetenda pernicioso haeretico præverit exemplo, cum & Fidem ipsam impugnandi, ansam iisdem præbuerit, sacris scilicet codicibus vim inferendo, variaque Divini Verbi testimonia temerario planè ausu ad sensus parum sanos detorquendo. Quamvis enim nihil affirmaret ipse, sed dubitans tantum procederet, interrogando nimirum num hæc aut illa Scripturae loca tali vel tali modo (pessilentibus quidem illis & Orthodoxæ fidei, sensuique, quem de istis tenet Ecclesia, contrariis) intelligi non possent, digito fontes, aut sentinas potius, ostendit, unde lutulenta illa Sectariorum hujus temporis doctrina profuxit, quæ fœda colluvie totam fermè inundavit Europam. Lutherus siquidem quæ ambigendo scriptis suis inferuerat Erasmus, avidè arripens, ex illius dubiis suas formavit assertiones, faculentasque cudit haereses, & innumeros homines veneno suo infecit. Hinc nihil eo tempore pervulgatius, quàm Erasmus posuisse ova, & Lutherum inde exclusisse basilico. Imò Erasmus dubitando, & Lutherus asserendo, ita sese invicem referebant, & in eodem veluti conspirare videbantur, ut tunc omnibus esset in ore, aut Lutherum Erasmus are, aut Erasmus Lutherum are.

Ex Erasmi dubiis Lutherus eruit assertiones.

VII. Surius A.A. no 1536. §. Eodem anno.

Monuit eum amicè Thomas Morus, qui hominem propter ingenii acumen, eximiasque naturæ dotes, ac singularem in linguis ac humanioribus literis peritiam amavit, ut, Divi Augustini exemplo, scripta sua retractaret, & corrigeret: quod quantumvis, ut tanto viro deferre videretur, facturum se susciperet, nihilque sibi magis in votis esse præ se ferret, id tamen non serio ipsum intendisse docuit eventus; dum enim de die in diem differt, tandem, re infecta, diem clausit extremum, & in frigidis illis desiderii Desiderius extinctus est, mansitque in hominum recordatione magna potius fama, quàm bonæ.

